

Medium motum cuiuslibet planetarum per ipsius
tabulas ad tempus quodcumque propo-
situm inuenire.

Propositio I.

Praescribe tibi tempus, ad quod quo planetae motum inuenire desideras, ab annis uerbi incarnati ad usque tempus propositum per annos, mes, dies, horas, minuta, secunda &c. singula tanquam pertransita in locis congruis, ut praeferatur. Intra itaque tabulam radicem mediorum motuum annorum collectorum planetae illius, cuius motum scire preponis cum anno tuo completo, que si inuenieris praecise, motus penes eum in tabula positus, erit radix anni sine ulteriori operatione.

Si autem annum propositum in columna annorum collectorum praecise non inuenieris, primo intrabis cum minori propinquiori, & ea quae de motu, signis scilicet gradibus & minutis &c. iuxta eum reperies, extra scribe per loca sua. Deinde hunc annum minorem in tabulam missum ab anno per te proposito subtrah, & residuabuntur anni, qui dicuntur expansi. Cum quibus itaque denuo intrabis in tabulam annorum expansorum, & ubi eosdem inuenieris, illic in tabula similis tituli, ut in annis collectis accepisti, suscipe motum, scribeque sub priori unumquemque sub suo genere, quae simul iungas secundum artem traditam, a subtilioribus incipiendo. Quidquid autem facta additione prouenerit, erit radix anni currentis, quae non est aliud nisi arcus alicuius orbis secundum aequalem motum per transitus interceptus inter principium, a quo talis motus computatur, & inter lineam eundem motum terminantem ad principium anni currentis inuentus.

Principium autem currentis anni secundum practicantes motus pro anno Romanorum sit semper in meridie ultimae dici decembris, in hac syllaba, scilicet sili in qua etiam finitur annus completus, uel tanquam completus. Finis namque unius, scilicet lapsi, est principium alterius uidelicet labentis continuorum more. Radice itaque habita cum reliquo temporis, primo tamen cum mensibus, si qui fuerint ad tabulam eorundem mensium anni communis, si annus tuus currens communis fuerit, aut bisextilis si fuerit bisextus annus propositus intrabis, ac motum planetae tui in eius tabula eiusdem mensis inuentum, recipe radici subscribendo in locis qui debentur. Deinde cum numero dierum si qui superfluxerint ad dierum tabulam ingrediendo tui planetae, motumque iuxta scriptum extrahas prescriptis subiungendo more solito. Haud secus cum horarum numero faciendo arbitriare, mittendis scilicet in tabulam horarum, si tempus acceptum aliquot ultra dies inclusus est horas & motum ibidem repertum praedictis subscribe per differentias suas. Eodem quoque modo cum minutis ac ceteris fractionibus temporis te operari oportet per tabulam horarum & suarum fractionum, si quas ultra horas proposuisti, eadem namque tabula ipsis horis, horarumque minutis, quarumcumque denominationum fuerint inserviet. Si autem aliquam denominationem tui temporis uacare contigerit, eiusdem nominis tabulam ingredi non erit necesse. Et scias quod cum qua minutia temporis dictam tabulam intrare contigerit, semper prima eius riga post lineam numeri eandem in motu denominationem obtinebit. Variabilis etenim est continue linea pri-
mae denominatio tabulae dictae, ad denominationem numeri in tabulam mittendi, ut si mittantur minuta habebit minuta, si secunda seruabit secunda, si tertia mittantur, sic tertia ipsa adducentur &c. Intra igitur primo cum minutis & motum quem reperies, scribe sub prius extractis. Deinde cum secundis, & fac similiter &c.

Hoc